

rimum in eorum tantum manus pervenissent, quos concernebant, in unum collectæ, omnibus, expensas adeo utiles facere volentibus, fierent communes. Et certe, si materia valissimæ hujus operis præstantiam, dignitatem, auctoritatem, utilitatemque expendamus, convincimur, illud Bibliothecis tam Ecclesiasticorum Præpositorum, quam Religiosarum Familiarum, atque Juris Ecclesiastici Antecessorum non tantum esse utilissimum, sed omnino necessarium; utpote in quo ad longum habentur plurima, et eaque sanè maxima, quæ singulos concernunt. Hoc tamen notandum: Bullarium Romanum nunquam à Sede Romana pro Codice Legali obligante universam Ecclesiam fuisse approbatum, ac proinde Constitutiones Papales privatos concernentes, ab iis, quæ universam contingunt Ecclesiam, ferenda sunt. Imo nunquam legaliter declaratum est, Bullas in eo contentas suis autographis quoad omnia correspondere. Quo fit, ut quamvis temerarium esset, de illarum authenticitate, postquam in Camera Apostolica Bullario impressæ, vel ad illius exemplaria reimpresse sunt, dubitare: nihilominus *plenissima convictio* ex sola auctoritate Bullarii, in quo prostant excusæ, haberi nequeat. Pro cuius dilucidatione aliquid de ipsi Bullis RR. Pontificum adicere placet.

282. *Bulla* igitur hodie dicuntur illæ literæ Apostolicæ, seu Papales, quæ ex stylo Romanæ Curæ expediuntur per Cancellarium sub plumbo, sive Sigillo plumbeo pendente ex cordulis, conscriptæ in membrana magis nigra & rudi, atque antiquo caractere Gallico. Quo caractere præcipue differunt à *Brevibus Apostolicis*, quæ in membranis subtilibus & candidis, caractere Latino, & nitido describuntur, & à tergo cera rubea chordulis lineis inclusæ sunt illarum, annuloque Piscatoris signatarum, ac manu Secretarii subseriptæ, atque per Secretariam Apostolicam expeditæ. Differunt præterea in hoc à *Brevibus*,

quod illa plerumque dentur in negotiis brevibus, & non magni momenti, Bullæ vero in arduis.

283. Circa has Bullas notandum est primo, quod ad hoc ut effectum suum consequantur, legitime, & authentice constare debeat, num Bulla, sive Decretalis, aut Constitutio, quæ profertur à Rom. Pontifice, revera ab ipso emanaverit; aut forsitan præter ejus intentionem alterata non sit: quod non semel contigisse notorium est, ac circa famosam Bullam Pii V. contigisse testatur Gregor. XIII. in sua Bulla, quæ incipit: *In tanta*, &c. habeturque in Bullario tom. II. ordine nona inter Gregorianas, pag. 397. editionis Luxemburgensis. Secundo: Si eam à Romano Pontifice emanasse constiterit, dubia adhuc potest esse ejus intentio: vel etiam satis ex contextu liquere, quod non omnia loca, omnes personas, vel tempora omnia comprehendere voluerit: de quibus, priusquam pro lege suscipiatur, inquirendum est. Tertio: An legitime sit publicata?

284. Quæ autem sit legitima alicujus Bullæ Pontificæ publicatio ad hoc, ut omnes ubique gentium Christianos obliget, grandis, et eaque gravissima inter Doctores est controversia, aliis asserentibus sufficere, si Romæ more solito publicetur, saltem si habeat clausulam adjectam, quod tunc jam obliget; aliis è contra pro aris & focis id negantibus, & similem clausulam pro non adjecta habendam contententibus. Quidquid sit de hac intricata, & odiosa Controversia, à qua hic abstinemus, id certum est quarto: quod ubi consuetudo introducta est, ut Bullæ Papales versantes in pura materia morum non recipiantur, nisi prius ab Ordinario atque etiam à Seculari legitima Potestate cum debita reverentia examinentur, an congruant publicæ utilitati suarum Diocesium, vel Reipublicæ, ob inveteratas & rationabiles earundem consuetudines, gentium plebis, defectum suæ legis; quia v. gr. latæ fuerint ob pericula & defectus, qui

qui ibidem generatim non grassantur, imo quandoque vix noscuntur, &c. Similes Bullæ ante tale examen, & post illud acceptum *placitum Regium*, ac promulgationem ab Ordinario factam, non obligant.

285. Hinc fit, quod in Gallia, Belgio, atque alibi, ubi usus placiti Regii viget, plures Bullæ Pontificæ concernentes externum Ecclesiæ regimen (nec enim de dogmaticis hic loquimur, uti nec de illis, quæ certas forsitan Regularium Familias concernunt, nec eorum claustra egrediuntur) non obligent, quia nempe ob assignatas rationes à Principibus Supremis non sunt, ut ajunt, *placetatæ*, seu placidatæ, atque ab Ordinariis non promulgatæ, consentiente, seu tacite connivente Pontifice; aut denique consuetudine legitima abrogatæ: uti, quantum ad Germaniam, docet Layman in *Theol. Morali lib. 1. tr. 4. c. 2.*

## §. II.

## De Regulis Cancellariæ.

286. **R**egulæ Cancellariæ sic dicuntur, non quod solam Cancellariam Apostolicam, seu Officiales ipsius obligent; sed quia magna ipsarum pars concernit expeditionem Literarum Apostolicarum in Cancellaria Papæ faciendam, quatenus tradunt certam formam in ipsarum expeditione observandam; simulque quia regulæ illæ in Cancellaria Apostolica publicari consueverunt, & Regestis ejus inserti, teste Rebuffo in praxi Beneficiorum tit. *Additiones in regulas Cancellariæ, v. Cancellariæ.*

287. Author harum Regularum est Joannes XXII. qui primus circa a. 1330. Cancellariæ Apostolicæ Regulæ scripto dedit; idque probat Ludovicus Gomez ex eo, quia in vetusto quodam membrano Codice (quem vulgares *Quinternum Cancellariæ Apostolicæ* vocant) primus om-

nium in ordine ponitur Joannes XXII. Regularum Author: neque ante ipsum alius Summorum Pontificum invenitur, qui hoc antea *scripto* præstiterit; esto enim longe antea existerit Cancellaria Apostolica, utpote cuius jam Lucius III. qui fuit electus a. c. 1181. meminit in c. *Ad hæc Summus 10. de Rescriptis*, illis verbis: *De Cancellaria nostra literas accepisse*; eo tamen tempore negotia ejusdem non regulis scriptis, sed vivæ vocis mandato fuerunt directæ.

288. Pauciores ab initio fuerunt; at successu temporis sunt augmentatæ, quandoque mutatæ, relectæ, aut magis declaratæ. Cum enim hæc regulæ non sint perpetuæ, sed morte Pontificis finiuntur, quod in præmio illarum significatur his verbis: *Et suo tempore duraturas*; singuli Pontifices altero suæ assumptionis die eas de novo probant, atque in Cancellaria per Vice-Cancellarium publicari jubent; interdum novis additis, vel etiam antiquis immutatis, aut etiam nonnunquam ommissis: uti ad singulas pene ostendit Gomezius, & post eum Chovier in Commentario ad has regulas. Urbanus VIII. a. c. 1623. septuaginta & unam fecit, Clemens vero XI. 72. publicari curavit. Illarum tenor concernit reservationes Beneficiorum, modum, quem Officiales Cancellariæ in literis expediendis servare debent, & post Nicolaum V. aliqua circa judicia, in quantum concernunt actum in Curia agendum, ut inquit Gomez, observanda. Videri possunt hæc Regulæ ut à variis Pontificibus renovatæ in Bullario Romano.

289. Regulæ Cancellariæ hoc speciale præ aliis Legibus & Constitutionibus Apostolicis habent, quod de facto statim obligent ab eo tempore, quo à Neo-electo Pontifice Romano reassumuntur, licet nondum fuerint publicatæ: prout liquet ex ipsarum præfatione nunc usitata, & sic loquente: *Quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas, observari voluit*, videlicet Neo-electus

electus Pontifex. Quod autem Rebuffus l. c. dicit, illas obligare à die promulgationis, inde factum est, quia suo tempore clausula mox relata præfationi illarum necdum erat addita; aliqui vero leges etiam ad præterita facta trahi, quando nominatim in eis de præteritis cavetur; textus est in cap. ult. De Constit. et. l. 7. c. De Legibus, videlicet, quantum ad nullitatem actus in contrarium gesti, non vero quoad poenam vel culpam incurrandam, antequam debite promulgentur.

290. Præterea, ut jam supra insinuavimus, hoc speciale habent, quod non sint perpetuæ, sed solummodo ad vitam Pontificis durent, & in morte ejus illico expirent. Ex quo sequitur I. quod Sede vacante cessent reservationes Beneficiorum in eisdem dumtaxat contentæ; secus enim dicendum est de reservationibus in Corpore Juris clausis. II. & consecutive, quod, durante hac vacatione, Jus Ordinariorum revertatur ad primævos terminos Juris communis: unde Collator Ordinarius poterit tunc conferre Beneficia, cæteroque reservata solum per regulas Cancellariæ, ut puta vacantia in mensibus Papalibus, dummodo id fiat antequam Papa noviter creatus alias regulas constituat. Qui plura de his regulis scire aver, consulat Canonistas in tractatu de Beneficiis.

## §. III.

## De Concilio Tridentino.

291. **P**ræcipuus Juris Ecclesiastici novissimus fons est Concilium Tridentinum, de cuius Epochâ, &c. vide titulo primo §. 9. N. 241. siquidem illius decreta Jus novissimum continent; quo proin non cognito, Jus antierius vix explicari potest; siquidem in illo dicitur id, quod Juri antiquo vel additum, vel in eo mutatum est. Loco mox citato in Titulo primo, referendo ejus Symbolum, ea summam retulimus, quæ de fide sancivit con-

tra nostri sæculi hæreticos: nunc perstringere placet ea, quæ circa morum reformationem ab eodem sapientissime & saluberrime constituta sunt.

292. Itaque postquam Sacro-sancta & Œcumenica Synodus in primo Sessione quartæ decreto declarasset, se suscipere omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti; atque animadverteret primo, ingentem tunc temporis Versumum Latinarum Scripturæ Sacræ esse multitudinem ac varietatem. Secundo, magnam sibi quemque arrogare interpretandi eas licentiam, easque sæpe in alienos pravosque sensus detorqueendi. Tertio denique, tantam ex parte Typographorum in Sacris edendis Scripturis gliscere corruptelam, ut eas sæpius ex corruptis exemplaribus ederent, pravosque eisdem adfuerint interpretationes. Ad hos abusus radiciter evellendos tria ista præcipue in secundo hujus sessionis decreto declarat: Primo, versumum Scripturæ Sacræ, dictam *Vulgatam*, qualem nunc habemus, esse authenticam, eamque cæteris Scripturæ Sacræ versionibus latinis, quæ tunc circumferbantur, esse præponendam. Secundo, districte prohibet, ne quis Scripturam Sacram ad improprium detorqueat sensum, aut contra unanimum Patrum consensum interpretari præsumat, aut ejus verba ad profana, scurrilia, &c. deflectat. Tertio denique statuit, atque vetat, ne ullus deinceps de rebus facris imprimatur liber, absque Ordinarii licentia, & sine expresso Authoris nomine, sub pœna anathematis, & multæ pecuniariæ.

293. Decretum de Reformatione in quinta Sessione editum duo capita continet. Primum est de instituendo Theologo in singulis Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis; nec non in Collegiatis insignium Oppidorum pro lectione Scripturæ Sacræ, & de assignanda ei Præbendâ, vel alio stipendio congruo. Secundum est de Evangelii prædicatione; decernitque, legittimes Episcopos teneri per se ipsos, si legiti-

me

me non fuerint impediti, ad prædicandum Sanctum Jesu-Christi Evangelium; si vero contigerit eos legitimum detineri impedimento, teneri juxta formam Concilii Lateranensis Viros idoneos assumere ad hujusmodi Prædicationis Officium salubriter exequendum. Decreti reliqua pars Regulares spectat, quibus interdicitur, ne in Ecclesiis etiam suorum Ordinum Conciones habeant, nisi à Superioribus suis de vita, moribus, & scientia examinati, ac petita ab Episcopis benedictione; in aliis vero Ecclesiis sine licentia Episcoporum ne concionentur; qui Sacro munere iis interdicitur, si errores aut scandala disseminaverint, ubicumque Conciones habeant.

294. Decretum de Reformatione Sessionis sextæ quinque capita continet. Primum decernit, teneri Prælatos residere in suis Ecclesiis. Secundum statuit, Presbyteros beneficiatos, habentes curam animarum, per Ordinarios ad residendam esse cogendos. Tertium definit excessus Clericorum ac Regularium degentium extra Monasterium corrigi debere ab Ordinario loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegato. Quartum sancit, Ecclesias quascunque majores earumque personas posse ab Episcopis visitari, quoties opus fuerit. Quintum denique declarat, nulli Episcopo licere Pontificalia in aliena Diocesi exercere, nec Ordines conferre, nisi volente & consentiente loci Ordinario.

295. Decretum de Reformatione Sessionis septimæ quindecim capita continet, quibus damnatur pluralitas Beneficiorum incompatibilium, & præferuntur dotes, examen, cæteraque id genus, quæ præquiri debent ab his, qui ab Episcopis ad id genus Beneficia promoventur. Hæc omnia decreta sub Paulo III. P. M.

296. Decretum de Reformatione Sessionis decimæ tertie, quæ tertia est sub Julio III. octo complectitur capita, quæ Prælatorum Jurisdictionem spectant, & appellationibus modum imponunt.

297. Decretum de Reformatione Ses-

sessionis decimæ quartæ tredecim complectitur capita, Ecclesiæ Prælatos, Beneficiatos, vel Clericos fere omnia spectantia: & inter cætera alia sancit, ut Clerici, qui in Sacris Ordinibus sunt constituti, aut in Ecclesiastica Beneficia possident, utantur veste Ordini, ac Dignitati congruente: voluntarii homicidæ ab Ordinibus arceantur, aut si jam sint ordinati, à ministerio separentur, ac omnibus Beneficiis careant. Ut Religiosi translati ad alium Ordinem in Claustro sub obedientia maneat, & Beneficiorum sæcularium incapaces existant. Ut nemo Jus-Patronatus obineat, nisi ex fundatione, vel donatione, & ille, qui à legitimo Juris-Patronatus possessore ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum est præsentatus, non ab alio, quam ab Ordinario, seu Episcopo instituitur. Hæc omnia decreta sunt sub Julio III. P. M.

298. Decretum de Reformatione Sessionis vigesimæ primæ, quæ est quarta sub Pio IV. novem continet capita: in quibus decernit primo, ut nihil Episcopi, aut alii Ordinum Collatores, vel eorum Ministri pro Ordinum collatione, vel pro lictis dimissoriis, aut testimonialibus etiam sponte oblatum, quovis prætextu accipiant, & contrarias huic decreto consuetudines aut Sancta Synodus esse abusus, & corruptelas simoniacæ pravitati faventes. Secundo statuit S. Synodus, ut nullus absque Beneficii, aut Patrimonii titulo ad Sacros Ordines promoveatur; potest tamen Episcopus aliquem absque titulo ordinare; sed tunc tenetur Ordinatum alimenta suppeditare. Tertio potestatem dat S. Synodus Episcopis uniones perpetuas faciendi in casibus à Jure permissis. Quarto præcipit S. Synodus, ut Monasteria commendata, in quibus non viget Regularis Observantia disciplinæ, & Beneficia quæcumque ab Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, visitentur; si vero in iis vigeat disciplina Regularis, admoventur paterne eorum Superiores ab iisdem Episcopis, ut juxta eorum Regularia Instituta debitam vivendi

22

rationem observent, & observari faciant: si autem sex post admonitionem mensibus illi negligenter se gerant, tunc Episcopi ea Monasteria visitare possint, & Monachos, vel Canonicos Regulares corrigere. Quinto jubet S. Synodus, ut Quæstorum nomen, & officium penitus aboleatur. Quætores autem dicebantur hi, qui colligebant elemosynas, quas erogabant illi, quibus indulgentia concedebantur; sed quia isti Quætores sua potestate abutebantur, & multis adhibitis fraudibus, pecunias è simplicibus plebis pietate in suum proprium modum emungebant; necessarium omnino visum est Patribus Concilii Tridentini illos penitus abolere, & facultatem promulgandi indulgentias, & alias Sedis Apostolicæ gratias transferre in Episcopos, qui oblata à Fidelibus in pios usus subsidia, seu elemosynas absque ulla mercede colligerent.

299. Decretum de Reformatione Sessionis vigesimæ secundæ undecim capita complectitur; quibus, inter cætera alia, præcipitur primo, ut veteres de vita, & honestate Clericorum Canones innoventur. Secundo, ut hi, qui ad Cathedrales Ecclesias regendas assumuntur, præter morum probitatem, ea scientia polleant, qua injuncti sibi muneris, angelicus humeris formidandi, possint necessitati satisfacere. Præscribitur etiam, ut ii, qui in dictis Ecclesiis Beneficia obtinent, quibus onera sunt varia annexa, infra annum Ordines suscipiant requisitos; atque cum eo Concilii decreto proximam suam concilient, si possint hi, qui sere nusquam sacros Ordines suscipiunt, quamvis fruantur Canoniciatus & Beneficiis, quibus annexum est onus Missam celebrandi.

300. Decretum de Reformatione Sessionis vigesimæ tertix octodecim comprehenditur capitulis: in quorum primo declarant PP. eos, quibus incumbit animarum cura, teneri ad personalem in sua Ecclesia, vel Diocesi residentiam; eo quod, inquit, præcepto divino omnibus, quibus animarum cura demandata est, man-

datum sit, ut oves suas agnoscant, propriis Sacrificium offerant, Verbiq; Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascant: quæ omnia sine personali residentia præstari nequaquam possunt. In aliis ejusdem decreti capitulis Patres circa legitimas causas, propter quas Pastores à suis Ecclesiis, vel Diocæsisibus absunt, circa Clericorum ordinationes, & Seminariorum erectionem, multa decernunt, quæ puriorem veteris Ecclesiæ disciplinam redolent.

301. In Sessione vigesima quarta, præter decretum fidem spectans, duo alia hæc pertinentia sunt edita. Primum est de Reformatione Matrimonii, completens capita decem, in quorum primo Patres edixerunt, Matrimonia clandestina fuisse valida, quamdiu Ecclesia ea irrita non declaravit; sed deinceps fore invalida, si aliter, quam præsentè Parocho, de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contracta fuerint. In secundo sanxerunt rata, & valida esse Matrimonia à filiis familias sine consensu Parentum contracta. In tertio varia statuerunt de proclamationibus necessario præmittendis ad celebrationem Matrimonii, de cognatione spirituali, de impedimento publicæ honestatis, de affinitate, de raptu, aliisque Matrimonii impedimentis. Secundum decretum in hac Sessione editum est, de morum, ac disciplina reformatione: in quo uno & viginti capitulis multa ac varia, quæ tum Ecclesiæ Ministros, eorum electionem, visitationes, Conciliorum Diocæsanorum celebrationes, Judicia, Præbendas, &c. tum etiam Laicos concernunt.

302. In Sessione vigesima quinta, præter decretum fidem spectans, pariter duo alia hæc pertinentia sunt edita. Primum concernit Regulares utriusque sexus in specie, continetque sanctiones viginti duas. In quibus de observatione Regularum, de votis, de clausura, de electione Superiorum, de eligendorum ætate & qualitatibus,

bus, de subjectione eorundem Ordinarii, vel exemptione, jurisdictione, præcedentia, de judicis, penis, Novitiatu, Professione, plurima, eaque saluberrima statuuntur, atque capitulo ultimo eorundem statutorum executio, atque observatio, quam primum possibile fuerit, præcipitur. Alterum est de Reformatione, continetque capitula viginti unum; in quibus multa, eaque diversa Ecclesiasticam disciplinam spectantia capita saluberrime sanciuntur. Quibus in continuatione ejusdem Sessionis adjiciuntur alia adhuc decreta; videlicet, de usu ac moderatione indulgentiarum; de delectu ciborum, jejuniis, & diebus festis devote celebrandis; de Indice librorum, Catechismo, Breviario, & Missali; de loco Oratorum Principum; de legendis omnibus ejusdem Synodi decretis; ac postremo decretum de finienda Synodo, & de confirmatione omnium definitionum ac decretorum, quæ in Synodo Tridentina edita fuerant, à Summo Pontifice Pio IV. petenda.

303. Hujus Synodi tum legitimitatem, tum universalitatem, tum libertatem in genere, & ejus acta, tam fidem, quam mores spectantia in specie allatarunt hæretici, alique malefieri homines; qui à nostris Scriptoribus tum historicis, tum polemicis egregie retunduntur, ad quos Lector benevolus remittitur; cum nostri fori non sit amplissimam hanc materiam hic loci discutere. Aliqua igitur solummodo circa ejusdem Synodi decreta observabimus. Et

304. Primo. Cum Sacra Synodus Sessione 22. cap. 1. de Ref. præcipiat, ut veteres de vita, & honestate Clericorum Canones innoventur, erroris convincuntur quidam recentiores Casuistæ, qui ausi sunt asserere, omnes antiquos de moribus Clericorum, & Christianorum Canones per desuetudinem, seu per non usum esse penitus abrogatos. Quos certe falsi convincunt præcepta, quæ passim ad observandos antiquos Canones inculcant PP. Concilii Trid. eorum ardens desiderium, ut instau-

Tom. I.

rentur, diligens cura, studium, contentio, ut adhuc vigentes sedule tenerentur, retinerentur collabentes, profusus lapsi renovarentur: moderante tamen omnia Christiana prudentia, ne præcipiti zelus pax Ecclesiæ, & Fidelium concordia perturbaretur. Ex quo liquet, nunquam se excolere posse antiquos Canones Conciliorum ad mores pertinentes, ut eos velut penitus abrogatos, & tanquam Lacademiorum aut Atheniensium leges abolitum pridem & extinctos spectare liceat; semper enim in corde Clericorum, & omnium Christianorum impressi, & consignati esse debent, ibique vivere. Semper ad eos conantur, & contendere debent omnes Christiani; ac sibi ipsis graviter succensere, quod ab eorum observatione tam longe absint.

305. Secundo, Synodum Œcumenicam tam quoad dogmata, quam morum reformationis decreta ab omnibus Christianis Nationibus esse receptam; ab aliquibus tamen Provinciis cum hac clausula: *Salvis juribus, privilegiis, ac libertatibus tum Ecclesiarum, tum utriusque Potestatis tam sacræ, quam profanæ; ut patet in Ecclesia Gallicana, cujus Clerus, postquam à Regibus Christianissimis iteratis, atque importunitis precibus promulgationem ejusdem Synodi cum præfata clausula urssisset, facta A. 1615. iterum Ludovico XIII. in hunc finem supplicatione, in solemnissima, atque totam Gallicanam Ecclesiam representante Congregatione, idem Concilium subscriptione sua ac juramento recepit, ac se recipere declaravit; atque in Concilio Provincialibus solemniter rite iterandum, & comprobandum decrevit, salvis Regni Juribus, & privatorum rationibus, quorum gratia Summus Pontifex rogaretur à Clero, ut quadam ejusdem Synodi capita temperaret; veluti constat ex Oratione in his Comitibus ad Regem habita à Francisco Harlæo: quæ Orationes editæ sunt tom. 5. Commentariorum Cleri Gallicani.*

Aa

CA.

## CAPUT VII.

De quibusdam aliis Corpus Juris Canonici concernentibus.

## §. I.

De Declarationibus Cardinalium.

306. **I**nter alias Congregationes pro faciliiori universalis Ecclesie regimine à diversis Pontificibus Romanis institutas, eminet illa, quam vocamus *Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum*. Vocatur notanter *Congregatio Cardinalium*, quia ex solis Cardinalibus, si Secretarium ejusdem excipias, consistit.

307. Eiusdem Erector a. c. 1564. fuit Pius IV. qui postquam in Bulla confirmationis Sacri ac Œcumenici Concilii Tridentini hoc anno die 16. Februarii edita, ad vitandam perversionem & confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret pro libitu in decreta Concilii commentarios & interpretationes edere, autoritate Apostolica inhibuisset, ne quisquam simile quid sub pena *interdicti*, si Prælatus, aut *excommunicationis late sententiæ*, si inferior esset, attentare præsumat, quovis petito colore; aliquot post menses prædictam Congregationem instituit per motum proprium, qui incipit: *Alias nonnullas*.

308. In hac Bulla Pius IV. solam executionem & observantiam Concilii Tridentini dicte Eminentiſsimæ Congregationi demandavit, reservata sibi interpretatione ejusdem. At Sixtus V. ejusdem Successor, ut decreta Concilii Tridentini ad mores disciplinamque pertinentia eo magis ab omnibus observarentur, in sua Constitutione, quæ incipit *Immensa* a. 1587. 11. Kal. Feb. edita, memoratæ Congregationis facultatem ampliavit; eidemque insuper concessit facultatem interpretandi Decreta ejusdem Œcumenici Concilii, quæ

de morum Reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis iudiciis, aliisque ejusmodi statuta sunt, si quando in ipsis dubietas, aut difficultas emergeret: ita tamen, ut hoc fiat, consulto prius Romano Pontifice (ut ibidem Papa exprimit verbis: *Nobis tamen consultis*), simulque eorum Decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretatio ipsius Papæ reservata maneat; prout amplius habetur in dicte Constitutione.

309. Responſa magni hujus Synedrii vocantur *Declarationes Cardinalium*; circa quas controversia est inter Authores, an vim legis habeant? Quam decidet sequens

## QUÆSTIO SCHOLASTICA.

An Declarationes Cardinalium vim legis obtineant?

310. **A**nte resolutionem præsupponendum est primo: Declarationes sive impressas, sive imprimendas, sive manuscriptorum fidem non facere; adeoque nec legaliter obligare, nisi asserantur in forma authentica; id enim ob competas pluras fraudes ipsa Sacra Congregatio de speciali jussu Urbani VIII. a. 1631. mandavit, præcepit, ac declaravit: dicuntur autem in forma authentica asserri, si exhibeantur munita solito sigillo, *Subscriptionis Eminentiſsimi Cardinalis Præsecti, & Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium*. Qua habita vim legis habent, saltem inter partes, ad quarum petitionem dantur.

311. Nec dicas: ergo frustra toties allegantur à Canonistis aliisque Doctoribus declarationes Cardinalium: gratis enim membranam occupant, cum nullam sive in, sive extra iudicium fidem faciant: negatur enim consequentia; primo, quia declarationes istæ à cordatis viris relatæ vel maxime profunt in Curia Romana, eo quod ibidem nimis facile sit, de earum veritate

ritate se se certum reddere, & ita causam lucrari. Deinde juvant etiam pro aliis locis, tum quia hausta prævia notitia ex diligentibus Collectoribus, eas fideliter allegantibus, difficile non erit quamlibet illarum pro occurrentis negotii qualitate à memorata Sacra Congregatione in forma authentica obtinere, ac dein in iudicio pro plena faciendi fide adducere; tum quia sæpe dicte declarationes Cardinalium, cæteris quæ in probatis Collectoribus allegatas, & de quarum veritate nulla subest probabilis ratio dubitandi, ex eo dumtaxat rejicere, quod non asserantur in forma authentica; atque idcirco libere contrariam sententiam tueri vix adest ab irreverentia & temeritate: uti notat Fagnanus in c. *Quoniam n. 59. de Constit.* ubi subdit, quod recte faciat Iudex, qui declarationes S. Congregationis, quas invenerit apud aliquem probatum Authorem, ut veras habet & sequitur, etiam si à parte nec allegantur, nec producantur.

312. Observandum secundo, declarationes in hac Congregatione frequenter dari occasione casuum particularium, qui ad hanc Congregationem deferuntur; & in hoc casu erroneam dicit esse Cardinalis de Luca, in illis cum consueta cæca fide vim consistere; cum illæ, quæ singulis, vel particularibus concernunt casus, ex eorum particulari qualitate, & circumstantiis manare soleant; ideoque alteri, diversas circumstantias habenti, non semper sint applicabiles; cum diversimode, ob diversam facti qualitatem, sæpius discernere congruat, quod vulgus male concipit, atque contrarietatem appellat. Ita ille in annot. ad *Concil. Trid. discursu 1. N. 12.* Ut ergo declaratio ab hac Congregatione emanata alicui casui particulari applicetur, expendendum, ac inquirendum est, num forsitan huiusmodi declaratio non emanaverit occasione alicujus particularis casus, quibusdam particularibus circumstantiis vestiti, aut certe non cum iisdem, quæ casum præsentem circumstant; si enim

ita se habet, nec generaliter in omnibus casibus obligabit vel juvabit, nec particulariter in casu diversis circumstantiis vestito.

313. Observandum tertio. Cum hæc Congregatio à Sixto V. facultatem interpretandi Concilium Tridentinum cum clausula: *Nobis tamen consultis*, accepit, interpretationem secus factam non esse legalem, sed doctrinalem fatendum est. Certum præterea est, quod, ubi aliqua decreta Concilii Trid. non sunt recepta, ibi etiam declarationes illorum legis vim non habeant. Hæc certa sunt apud omnes: sed dubium est, an, cum similes declarationes non soleant promulgari, & promulgatio sit de essentia legis ad hoc, ut in actu secundo obliget, si generales sint, & in forma authentica asserantur, nec Jus novum constituent, sed præexistens declarent, vim legis obtineant, vel potius interpretationis legalis, & non mere doctrinalis? Dixi notanter, *Si Jus novum non constituent*; si enim hoc fiat, tunc in hunc finem Romæ more solito & publicari solent, & debent: uti patet in decreto ejusdem Congr. de Regularibus Apostatis & ejectionis, edito die 21. Sept. 1624. (ac referunt tom. 4. Bullarii Rom. Constit. 28. Urbani VIII.) & aliis.

314. Statu questionis ita exposito, magna animorum contentione disceptatur inter Canonistas circa autoritatem harum declarationum, qui in tres sententias abeunt: aliis asserentibus, has declarationes esse solummodo doctrinales; aliis è contra, eas vim Canonice Legis in utroque foro obligantis habere, et si NB. solemniter promulgentur; aliis denique contentendentibus, eas vim legis universalis, atque in utroque foro obligantis habere, et si promulgatæ solemniter non sint, modo *consulentibus* in forma authentica supra descripta sint extraditæ, atque in Curia consueta interdictæ. Quam posteriorem sententiam ex professo, & latissime propugnat Fagnanus in cap. *Quoniam n. 6. & seqq.*

de Confit. Antequam mentem nostram declaremus,

315. Notandum adhuc est, declarationem legalem alicujus Canonis, vel Constitutionis esse eam, quæ fit vel ab ipso Legislatore, ejusque Successore, vel ad ejusdem mandatum à privatis quidem, sed nomine ac autoritate ejusdem. Cujus fortis olim erant in Jure Civili responsa Prudentum, quibus à Cæsare concessum fuit Jura publice interpretandi, cum tanta autoritate, ut Judici ab eorum responso recedere non licuerit, §. *Responsa prudentum Instit. de Jure Nat. Gent. & Civ.* Declarationem vero magistralem illam, quæ fit & ab homine privato, & simul privata autoritate, à qua proinde ex motivo contrario etiam non evidenti recedere cullibet fas est.

316. Notandum II. Legislatores, dum aliis facultatem interpretandi legaliter, id est, nomine suo Constitutiones à se, vel à Prædecessoribus latas tribuunt; eam quidem hæc Interpretibus elargiri auctoritatem, ut leges juxta earundem declarationem in praxim mitti debeant, prout constat ex mox relato §. *Instit. de Jure Nat. &c.* at nequaquam efficere, ut dicti Interpretes hac ipsa concessione donum infallibilitatis nanciscantur, quo præditi genuinum semper legis sensum proculdubio assequantur. Cujus rei exemplum nobis suppeditat ipsa, de qua impræsentiarum agimus, Eminentissima Cardinalium Congregatio, quæ aliquoties interpretationes suas, re maturus considerata, corrigendo, monstravit, se donum infallibilitatis hac in re non habere. Exempla similium correctionum ex

Fagnano in c. Sess. 24. videri possunt. His prænotatis, sit



## PROPOSITIO.

*Declarationes Cardinalium supra N. 309. descriptæ si generales sunt, non sunt mere doctrinales, sed legales, seu vim Legis Canonice, omnes Christianos pro utroque foro obligantis, habentes.*

317. **P**robatur ratione fundamentali, etiam illos stringente, qui Concilium supra Pontificem esse asseverant. Œcumenicum Concilium Tridentinum Sess. 25. in fine de recipiendis & observandis decretis Concilii, confidit R. Pontificem dubia, si quæ in hujuscemodi sanctionibus occurrerint, soluturam, eidemque id muneri, commodiore quacunque ratione ei visum fuerit, exequendum committit. Sixtus V. R. Pontifex in cit. Confit. *Immensa* §. *Deo autem Patri, &c.* impertitur Cardinalibus Præfatis interpretationi & executioni Concilii Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis Judiciis, aliisque hujusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerit, (ipso tamen consulto) interpretandi facultatem: ergo si generales sint, & reliqua cit. num. requisita habeant, vere sunt legales. P. C. ex N. 316. ubi ex Jure Civili probavimus, eam interpretationem esse legalem, quæ fit nomine & autoritate Supremi Principis; eum juxta illud Imperatoris effatum l. 1. §. *Sed neque C. de Veteri Jure enucleandis*, ibi. *omnia merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertitur auctoritas*: ergo si Declarationes Papales debemus recitare tanquam legales, seu vim legis habentes, à quibus recedere fas non sit, eadem reverentia recipiende erunt

Declarationes Cardinalium.



Mo.

Momenta Adversariorum expenduntur.

318. **O**pponit Gibertus Prologomenorum in Corpus Juris Canonici per regulas ordine naturali digesti parte priorè Tit. 23. I. Cum magnus sit numerus Congregationum Cardinalium, utpote quarum ad 15. instituit Sixtus V. & quarum singula Pontificis auctoritatem exercent; si illarum Declarationes essent legales, leges in infinitum crescerent, & simul occasiones prævaricandi. II. Principes Supremi, quorum nullus tot Subditis præest, quot Papa, nemini concedunt Jus ferendarum Legum Subditorum universitatem ligantium. III. Nulla asseritur Constitutio Pontificia, quæ expresse sit declaratum, Pontificem intendere & cavere, ut Congregationum Declarationes vim legis universalis fortiantur; quamvis opinionum varietas circa Declarationum earundem auctoritatem eum non lateat; nec verisimile est, factum fuisse, ut à tam necessaria definitione abtineret, si vim legis universalis ejusmodi Declarationibus impertiri dignatus fuisset. IV. Sunt alia prærogativa minus insignes Pontificis personæ relevatæ, quæ nunquam sine speciali clausula communicantur ipsis, etiam Legatis à Latere, quorum tamen Officium amplissimum est c. 4. de *Off. Legati*. V. Leges vulgo Legislatoris nomine feruntur; ipse in eis loquitur, & voluntatem suam diferte aperit: Declarationes nomine Cardinalium proponuntur. Hæc considerationes, inquit, gravem adversus Fagnani sententiam præsumptionem efficiunt.

319. Resp. Primo indirecte ad omnes, Gibertum omnium Congregationum Romanarum Declarationes indiscriminatim oppugnare; adeoque ejus argumentum esse confutum & inerte, cum omnium auctoritatem non eadem decempera metiamur: quare responsiones nostras ad præsentem restringendo,

Resp. Secundo directe ad I. Cum De-

clarationes Cardinalium non sint novæ leges, sed Canonum Tridentini Concilii legales & authenticæ interpretationes, id absurdum non sequitur; alias etiam dicamus illud sequi ex interpretatione Papæ.

320. Ad II. Resp. Nos hic non loqui de potestate ferendi leges, sed de potestate eas interpretandi legaliter, scilicet, ut talis interpretatio in eodem honore habeatur, ac si à Suprema Potestate fuisset lata, neminique ab ea recedere liceat; & talem olim fuisse concessam Juris Consultis ostendimus supra N. 316. ex Institutionibus; similisque Congregationum Cardinalium quoad decreta Concilii Tridentini à Sixto V. elargitam fuisse, ex ejus Constitutione N. 318. relata pariter elucescit. Per quod patet ad III. in quantum nostram Congregationem ferit.

321. Ad IV. Dico: Sicut Pontifex habet suas rationes, quare sibi minores prærogativas reservet; sic eas pariter habuisse censendum est Sixto V. dum in cit. Confit. potestatem declarandi Concilium Trid. Cardinalium Congregationi tribuit; & quæso, si Cardinalium Congregatio egerit Constitutione Pontificia ad hoc, ut evadat magisterialis, nonne omnes Doctores pro suis commentariis egerunt Constitutione Pontificia? Accedit, quod Papa Cardinalibus non dederit illimitatam potestatem interpretandi Concilium; sed se consulto: quod manifeste evincit, illas interpretationes esse legales, Papamque id in ea Bulla intendisse.

322. Ad V. dico, ejus primum membrum transmitti posse, si loquamur de legibus, non autem de legum declarationibus, quæ non obligant tanquam novæ leges, sed ad hoc, ut juxta illarum sensum lex præhabita intelligatur, & executioni mandetur.

323. Objicit II. Vanespens p. 1. *Juris Eccles. univ. tit. 22. c. 5.* & primum quidem principale Adversariorum fundamentum, Declarationes ab hac Congregatione emanantes per modum Legis aut Constitutionis

tutionis publicari non consueverunt: ergo non sunt habendæ pro legibus generalibus. II. Sacra Congregatio sua decreta nonnunquam correxit, ut supra N. 317. vidimus: igitur non est infallibilis in attingendo genuino sensu decretorum Concilii Trident. & consequenter ejus Declarationes non sunt tantæ autoritatis, ut ab eisdem recedere nonnunquam non liceat.

324. Resp. ad I. argumentum, illud falsum esse, si loquatur de illis Declarationibus, quæ novum Jus constituunt, hoc est, decretis Concilii aliquid addunt, vel ea diminuunt, &c. Has enim Romæ autoritate Pontificis solemniter promulgari supra N. 314. ostendimus. Si vero loquatur de nudis Declarationibus, genuinum sensum decreti solummodo exponentibus, Resp. C. A. N. C. Nam promulgatio quidem requiritur in legibus ad hoc, ut obligent in actu secundo, non item in Declarationibus legum, quæ legibus ipsis intrinsece insunt; ac proinde non faciunt Jus novum, sed solummodo Jus, quod prius erat, manifestant, atque declarant; atque juxta illas lex semper fuit intelligenda juxta Gl. in cap. Sicut nobis V. Respondemus, de verborum significatione. Ac desumitur ex Auth. de muliere raptum passa §. Fin. collat. 9. ubi Imperator de tali legum suarum declaratione loquens, ait: *Quam interpretationem non futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset à nobis.*

325. Instat Gibertus l. cit. Si ratiocinio huic locus esset, Conciliorum Generalium definitiones tam circa fidem, quam circa mores promulgatione haud indigerent; quoniam in lege divina includuntur, quam Scriptura & Traditio continent; & consequenter ipsæ nihil aliud sunt, quam istius Legis declarationes; nihilominus hæc Concilia definitiones suas promulgari jubent, eo fine, ut omnibus notum fiat id, quod in eis continetur,

non solum in globo, quemadmodum fit in Scriptura & Traditionibus, verum etiam sigillatim, ut distincte credi possit id, quod discrete definitum est, & observari, quod præceptum est. Sicut ergo definitiones Conciliorum ante sui promulgationem vim legis non habent circa eos, qui Concilio interfuerunt, cum lex non obliget prius singulos, quam Communitatem; ita hæc declarationes nunquam vim legis habebunt, quia nunquam solemniter promulgantur.

Resp. I. Hanc replicam corrigere Imperatorem & ejus Legem à nobis mox allatam, in qua dicit, *Declarationem* pro tempore præterito, quo nondum promulgata fuit, valere.

Resp. II. Illam insuper nimis, & consequenter nihil probare; probat siquidem nullam legem humanam positivam dari, cum tam Civilis, quam Canonica contineantur in lege divina, vel æterna, vel positiva, quarum legum istæ juxta hanc replicam sunt meræ declarationes: quod esse falsissimum, si declaratio strictè sumatur, clamant myriades Legum Civilium & Canoniarum. Distinguere ergo debuisset egregius ille ac laboriosissimus Juris Canonici per regulas ordine naturali Digestor inter Declarationem large & strictè sumptam, & nobiscum huic difficultati respondere: quod declarationes large sumptæ, seu illæ, quæ continentur in lege aliqua, v. g. Scriptura, & Traditionibus per modum sequelarum ex principiis generalibus, promulgatione egent ad hoc, ut obligent; non autem declarationes strictè sumptæ, seu quæ genuinum sensum Legislatoris solummodo exponunt, juxta Legem citatam & veritatem. Primi generis Declarationes sunt definitiones Conciliorum in replica allatæ, & illæ plerumque Declarationes Cardinalium, quæ Jus novam constituunt: secundi vero generis illæ, quæ in disputationem præteritam inducuntur. Quamvis & hæc promulgari posse non distineamur; sed quod promulga-

mulgatio essentialiter ad hoc requiritur, ut rationem legum, vel potius legalium interpretationum (sic enim magis proprie appellari debent, cum non sint novæ leges Concilio vel contrariæ, vel ex eodem eductæ) induant, id ex rationibus allegatis negamus.

326. Jam ad II. Vanespîi argumentum respondeo: Ello exempla relata evincant, Eminentissimam Congregationem Cardinalium non esse prorsus infallibilem in attingendo vero sensu decretorum Concilii Trid. non tamen evincunt ejusdem Congregationis declarationes non esse legales; si enim ad hoc, ut aliquis possit facere interpretationem legalem alicujus legis, requireretur, ut dono infallibilitatis in attingendo ejus sensu sit præditus; nullam interpretationem legalem haberemus, præter illam, quæ fit ab ipso Legis Conditoris; & quidem adhuc durante bona memoria; cum nec ejus Successores infallibilitatis dono quantum ad hoc sint præditi. Nec probant, quod pro libitu privatis liceat à simili Declaratione recedere, vel nonnunquam, saltem ex gravi momento; si enim Judicibus in Jure Civili non licebat recedere à responsis Jurisconsultorum, eo quod essent legales interpretes Legum Civilium; multo minus ex eadem ratione à Declaratione Cardinalium recedere licebit; eo vel maxime, quod reliquæ Congregationes Romanæ, atque etiam ipsa Rota Romana, de qua statim, eisdem Declarationibus absque ulla oppositione vel ambiguitate se se submittant, easque omnimode observent, etiam dimissis ipsis Rotæ decisionibus, si quando contrariæ sunt. Quod manifestum signum est, has declarationes, si circumstantias supra

enumeratas habeant, esse autoritativas, & vim legis habentes.

Ad dictorum hucusque majorem intelligentiam summam hic referemus sex Conclusiones Fagnani, quibus in cap. Cum venisset, de Judiciis decretorum supra relatorum sensum exponit. I. itaque contendit; neminem alium, quam Pontificem decreta Trid. interpretari posse, per formam legis universalis. 2. Pontificem hanc facultatem committere posse, & de facto commississe Congregationi Cardinalium, ad interpretationem Tridentini constitutæ. 3. Episcopos non posse interpretari hæc decreta neque in Conciliis Provincialibus, neque in Synodis Diocesanis, neque extra hæc Comitia in modum Legis ad suum districtum directæ, neque Judices in suis Judiciis in modum Statuti. 4. Doctores neque Glossas, neque Commentarios, neque Notas in illa decreta facere posse sub pœna excommunicationis. 5. asserit: Doctores & Judices illa decreta interpretari posse ratione alicujus difficultatis solvendæ, & litis dirimendæ: quam interpretationem vocat indirectam, & incidentem; quæ non cadit principaliter in decreta, sed in difficultatem aut litem, quæ ipsi occasione præbuit. 6. Has Bullas non interdicere interpretationem literalem aut grammaticalem ad decretorum intellectum necessariam, quales sunt in Scholis, Concionibus, & Catechismus (1).

## §. II.

## De Rota Romana.

327. **H**OC Summi Pontificis in Causis Litigiosis Tribunal & Judicium

(1) Quæ hactenus hinc inde allata sunt argumenta, facili negotio componuntur. Nam si Cardinalium declarationes & interpretationes sint universaliter ab Ecclesia receptæ, & Traditionibus, ac Canonum Sanctionibus uniformes; tunc jure merito vim legis habere debent. Si vero peculiare sint pro aliqua Provincia, vel Loco dumtaxat emanatæ; tunc nonnisi doctrinales ac instructivæ essent.

dicium Rotæ nomen verosimiliter accepisse, eo quod ejus membra in circulari mensa accumbunt, existimat Cardinalis de Luca discursu 32. in relatione Curie Romanæ Forensis num. 61. Olim 14. & quandoque plures pro arbitrio Pontificum existerunt Auditores Rotæ: verum Sixtus IV. in Constitutione, quæ incipit: *Romani Pontificis*, illos ad numerum duodecim reduxit; idemque non nisi ex famolis Juris Doctoribus, ac præcipue experimentatis, simulque ex diversis assumuntur Nationibus, ut hæc ratione in illo Tribunali existant Viri, qui in singulis respective Provinciis & Nationibus versati sunt.

328. Occasionem, imo necessitatem instituendi hujus Tribunalis Romanis Pontificibus imposuit ingens causarum, & negotiorum moles, quæ successu temporis ad Romanam Sedem devolvi cœperunt. Cum enim singulis terminandis Romanus Pontifex interesse non possit; præter *Consistorium*, in quo pro expediendis primariis & majoribus negotiis solet Adjutores, & Consiliarios adhibere Cardinales, ab antiquo jam erectum fuit *Auditorium Rotæ*, cujus officium est universorum Christi Fideiium causarum Ecclesiasticarum, ac etiam Sæculares eorum, qui temporali Jurisdictioni Pontificiæ subiant, ex commissione Pontificiæ cognoscere, & juste terminare: quamvis de facto, post erectas tot alias Sacras Congregationes, non amplius tam copiosus sit numerus causarum Spiritualium, seu Ecclesiasticarum in hoc Tribunali discutendarum, sicut antiquitus.

329. Decisiones Rotæ Romanæ non faciunt Jus universale, sed sunt Magistrales & probabiles tantum. Ratio est, quia nullibi reperitur, Auditoribus Rotæ Romanæ fuisse concessam potestatem Jus novum condendi; sed dumtaxat secundum Jura jam posita in causis particularibus judicandi, aut sententiam ferendi: uti constat ex Bulla Martini V. quæ incipit: *In Apostolica*, ubi §. 18. præcipit Pontifex,

quod prædicti Auditores, & eorum loca exercentes libros Juris ordinarios ad minus continuo secum habere debeantur, secundum quos videlicet sententiam ferant. In qua Bulla, sicut & in 44. Pii IV. quæ incipit: *In Throno*, plene habetur materia de qualitatibus, admissione, & officiis Auditorum Rotæ, sicut & de iis, quæ in hoc Tribunali tractantur.

330. Faciunt tamen Jus inter Partes litigantes; hoc enim commune est cæteris sententiis judicialibus, si Pars lapsa non appellet, vel tres sententias conformes reportet. Ubi sciendum, quod in Rota Romana ordinariæ (nisi videlicet pro casu speciali aliud mandaverit Pontifex) solum 4. ex 12. Auditoribus circa singulas causas votum proferant; atque si in eandem concorditer conspirent sententiam, vel saltem tres ex ipsis concordent, capiatur resolutio; à qua si Pars succumbens appellarit, aliis 4. ex eodem Gremio causa examinanda, & definienda committitur; nisi quis in duplici jam appellatione succubuerit, ut habet Card. de Luca l. cit.

331. Imo Decisiones Rotæ Jus facere in Curia Romana, ad instar Styli, tradit Joannes Franciscus Pavinus in *Preludiis Extrav. Joan. XII. V. Decisiones Rotæ*, & post ipsum Fagnanus: unde etiam Juris quæstio sit admodum controversa inter Doctores; si tamen super una ejus parte uniformes ac sæpius repetitæ procedant Decisiones Rotæ, tandem faciunt consuetudinem & stylum in Curia ita communiter decidendi, quamvis alii Judices aliter judicare possint; cum hæc decisiones, uti diximus, non faciant Jus commune: quæ tamen in genere magnum auctoritatis pondus habent; eo quod sint decisiones unius ex Supremis Christiani Orbis Tribunalibus, & nonnisi summa cum maturitate prodeant; ita ut Imola, Fagnanus, & alii censent, eas prævalere communi opinioni.

## §. III.

De Rubricis, Summariis, Supercriptionibus, & Glosis Juris Canonici.

332. Rubricæ, quantum ad Jus Canonium, sicut & Civile, vocantur *Titulorum inscriptiones*, eo quod antiquitus rubris literis notarentur. In Missilibus, Breviariis, Pontificalibus, &c. præcepta iisdem inserta, ob eandem characteris distinctionem, eodem vocabulo designantur. Inveniuntur tantum in illis Collectionibus, quæ ordinem argumentorum, seu titulorum servant; quoniam non sunt aliud, quam ipsi tituli rubris literis scripti, sub quibus coordinantur à Collectoribus Canones Conciliorum, decreta Pontificum, sententiæ Patrum, & Leges Civiles de eodem argumento tractantes.

333. Rubricæ generaliter dividi possunt dupliciter, videlicet, in authenticas, & magistrales. Authentice sunt illæ, quas Compilatores Codicum, servantes ordinem argumentorum, in suis Collectionibus Canonibus ordine præfixerunt, quæque subinde cum tota compilatione à legitima potestate approbatæ sunt. Magistrales vero sunt eæ, quæ ultima prærogativa authenticarum carent, seu quæ in tali compilatione existunt, quæ nunquam fuit approbata. Primi generis sunt Rubricæ Decretalium Gregorii IX. & reliquarum partium hæc Decretales in Corpore Juris Canonici sequentium; eo quod omnes auctoritatem Codicum Legalium habeant, ut supra c. 5. à §. 2. probatum est, & posteriores insuper iisdem titulis vehantur, quibus Decretales Gregorii IX. quamvis pauciores. Secundi generis sunt Rubricæ Decreti Gratiani; cum enim illud Decretum auctoritate legali careat, seu nunquam approbatum fuerit à legitima Potestate, quamvis Sanctiones in eo relate ut plurimum à suis Authoribus vim legis

obtineant; Rubricæ tamen, quia vel à Gratiano, vel ab alio privato confectæ, magistrales solummodo censentur.

334. Rubricæ authentice ulterius dividi possunt in præceptivas, & non præceptivas, seu, quod idem est, imperfectæ sensum habentes. Rubricæ authentice præceptivæ, seu perfectum sensum habentes, vim legis habent, possuntque allegari *dispositive*, ut loquuntur Canonistæ. Exemplum earundem adducemus ex Decretalibus Gregorii IX. cum reliquæ partes Juris Canonici earundem Titulos servant. Primum exhibet *lib. 2. tit. 6. Ut lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam*. Alterum est *ibi tit. 16. Tertium est in lib. 3. tit. 9. Quartum est ibi tit. 12. Quintum est pariter ibi tit. ult. Sextum est *lib. 5. tit. 4. & 5. Ejusmodi præcepta eo majus habent pondus, quod multis postea confirmantur textibus relatis in titulo, cujus sunt inscriptio. Rubricæ authentice perfectum sensum non habentes, seu quæ nihil præcipiunt aut vetant, adeoque vim legis non habent, trifariam dividuntur: quædam significant actus quosdam in certis casibus licere, in cæteris vetari: talis est rubrica de *Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non, &c.* Quædam docent, quibus modis auxilium Superioris imploretur circa Judicium redditum, vel reddendum: talis est Rubrica de *appellationibus, recusationibus, relationibus*. Quædam enumerant modos procedendi adversus Sentes: talis est Rubrica de *accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus*.**

335. Nulla est, ut jam dictum est, nova Rubricarum species in Collectionibus Gregoriana posterioribus; in Gregoriana autem sunt quinque à veteribus Decretalium Collectionibus, de quibus supra c. 4. §. 11. egimus, absentes. R. quibus juxta ordinem alphabeticum prima est *de custodia Eucharistie, Christinatis, & aliorum Sacramentorum* lib. 3. tit. 44. Secunda de *litis contestatione* lib. 2. tit. 5. Ter-

tit. de maledicis lib. 5. tit. 26. Quarta de Reliquiis, & veneratione Sanctorum lib. 3. tit. 45. Quinta de Summa Trinitate, & Fide Catholica lib. 3. tit. 1. Unam Rubricam, quae reperitur in veteribus Decretalibus, omittit Collectio Gregoriana, videlicet illam, quae in secunda Collectione habetur lib. 5. tit. 22. De Suffraganeis, id est, de Suffragiis, ut indicant argumentum textuum subsectorum ad Missam, preces, Officia divina pertinentium. Ex 185. Rubricis Collectionis Gregorianae 83. è Codice Justiniano desumptae sunt: ceterae illas imitantur. Bernardus Papiensis primus est utrumque Author, quod eas fecerit, aut collegerit, aut ordinaverit in prima Collectione Decretalium, post Decretum Gratiani à se adornata, de qua supra c. 4. §. II.

336. Proverbum in Jure est: *Valeat argumentum à rubro ad nigrum*, seu à Rubrica ad Textum; quod perinde vult dicere, ac quod Rubricae Decretalium recte allegantur in Judiciis, atque ad decisiones Causarum Ecclesiasticarum; eo quod perinde ac textus, seu nigrum, sint à Potestate legitima autorizata; quoniam juxta reg. 80. in 6. *In toto partem non est dubium contineri*. Pro qua argumentatione nota sequentem regulam generalem: videlicet, aut rubrica consonat nigro, aut eidem contradicit: si contradicit, non licet argumentari à rubro ad nigrum; sed standum est nigro, sive clario textui Canonis, Legis, aut Statuti, tanquam magis deliberato, magisque speciali, & simul posteriori; cum posteriora prioribus, & generi species deroget, nec rarium sit in Jure Canonico, quod à Rubrica, generaliter loquente, postmodum excipiantur casus speciales. Quod si vero Rubrica consonet nigro, tunc si secundu- dum superius dicta continet sensum perfectum, alligatur dispositivo sicut ipsa lex, seu nigrum, atque per illud roboratur. Si vero sensum perfectum, vel etiam imperfectum continet, tunc vel allegatur de-

clarative, hoc est, quod per illam verba nigri obscura, vel ambigua possint, ac debeant declarari: vel extensive; nam Rubrica generalior nigro, & habens perfectam orationem debet attendi, ac sufficit ad decisionem causarum, & non restringitur per nigrum magis speciale, sed potius istud ampliat: dummodo hoc intelligatur sub certis modificationibus. De quibus vide P. Reiffenstuhel in proemio sui Juris Canonici §. 6. à N. 100. ad finem.

337. Summaria in Jure Canonico sunt breves illae periodi, quibus Capitula sub Titulis seu Rubricis singulis contenta summantur, seu in brevem summam rediguntur. Non habent auctoritatem legalem, nec sunt de textu, sed tantum magisterialem, quia pro majori Legentium commoditate primum addita fuerunt à privat- is Doctoribus. Quia vero constituuntur ex his, quae Canonum, sive Legum expressa verba sonant; merito Summaria in magna estimatione sunt habenda: sed non ideo praecise, verum etiam ex sequentibus utilitatibus.

338. Nam 1. si variae sunt textus interpretationes, illud docemur per Summarium, quod monet, quinam intellectus vulgarior, aut verosimilior sit. 2. Si textus varios sensus patitur, monet id Summarium, atque utrumque exhibet. 3. Si textus alium in terminis sensum habeat, quam in mente, id significat Summarium, dicens: *Adhaerendo literae*, vel *secundum mentem*, sive *intellectum*. 4. Quando aliquid in textu deficit, atque illud suppeditat Glossa, utrumque in Summa jungitur, ut sensus prior, atque perfectior eruatur, idque indicatur. 5. Si textus crebro locum habeat, id monet Summarium. 6. Idem praestat, si dispositio singularis aut insignis fuerit. 7. Si textus aliis textibus adversetur, illud observat Summa, simulque id, cui inhaerendum est. 8. Si plures sint partes in textu §§. non distinctae, Summarium dat singularium partium sensum. 9. Quando textus res alienas continet,

aut

aut non congruas, id monet Summarium, quod eligit partem titulo congruentem: quod significat per haec verba: *Quoad Titulum*. 10. Quoad prolixos textus valde laborem, quem Lector in iis, absque auxilio legendis, pateretur, imminuit Summa. 11. Quando textus plura continet, invicem non coherentia, Summarium illam varietatem saepius advertit.

339. Veteres Decretalium Collectiones ante Gregorianam editae non habent Summaria. In Gregoriana, sicut & in Sexto, & Clementinis plurima nominatim suos referunt Auctores; eo quod vel ab ipsis personaliter facta, vel saltem ex eorum doctrina desumpta sint. In Extrav. Joan. XXII. & Communibus nullus Author in Summis Textuum nominatur, qui proinde ignorantur. In Decreto Gratiani non omnes Canones Summariis instruantur; paucissima sunt in Canonibus, qui continentur in dist. 7. in penitentia, & longe pauciora praesiguntur paleis; eorumdem Auctores pariter ignorantur.

340. Summariorum Auctores, qui referuntur in Decretalibus Gregorii, sunt Joannes Andreas, qui saeculo XIV. Antonius de Butrio, qui saeculo XV. floruit, & Abbas Panormitanus, cui major pars Summariorum adscribitur, sive ipse fecerit, sive ex ejus operibus desumpta fuerint: quaedam etiam à Glossa excerpta sunt. In Sexto & Clementinis Joannes Andreas saepe occurrit, tum Dominicus à S. Gemignano, qui saeculo XV. vixit. Multa fecit Zenzelinus, vel ea ex ejus operibus desumpta sunt. Nonnulla sunt Joannis de Panvinis; multa è Glossa desumuntur, aut ad eam remittuntur.

341. Supercriptiones Capitulorum nihil aliud sunt, quam indices fontium, unde Canones, Decreta Pontificum, Sententiae Patrum, & Leges Civiles desumptae sunt. Tam Decretum, quam reliquae partes Corporis Juris Canonici habent supercriptiones. Sic saepe Gratianus Canonis à se relato praesigat: *Unde Hieronymus ait*

in epist. ad Titum: *Unde August. ait in epist. ad Titum*: quo significat se Canonem desolasse ex horum Patrum Commentariis in ep. ad Titum, &c. Sic in Decretalibus, & aliis Corporis Juris Canonici partibus ante Capitula habetur: *Ex Concilio Lateranensi*, vel *Gregorius Maximo Solonensi Episcopo*, &c. Quibus indicatur, Capitula esse desumpta ex Canonibus Concilii Lateranensis, vel ex Epistola Gregorii ad Maximum Solonensem Episcopum, &c. Plurimas in Gratiani Decreto non correcto esse partim falsas, partim apocryphas supercriptiones, nec omnes à Correctoribus Romanis esse sublatae, supra c. 5. §. 1. argendo de eodem Decreto monstravimus. Imo etiam in Decretalibus una vel altera à Viris Eruditis notatur, de quibus videatur Antonius Augustinus in suis Dialogis de emendatione Gratiani. Ceterum supercriptiones Capitulorum in Decretalibus postice existunt authenticae, atque ex illis in Jure validum sumitur argumentum; cum in volumine Decretalium à Papa approbato, aliis superfluis rejectis, haec supercriptiones manserint.

342. Glossae nomine intelligimus hic illas interpretationes Canonum, aut etiam notas in quaedam illorum verba, expositione indigentia, quae cum ipsis Corpori Juris inferi solent, & ad marginem extra textum collocari, atque in textu per signa alphabetica, vel alia ad ipsas remitti. Si de Juris generatim spectati interpretatione ageretur, Ivo Carnotensis, & Gratianus inter Latinos Glossatores agmen ducerent; primus enim in sua Collectionis praefatione absolutissimas Juris interpretandi exhibuit regulas; quibus alter in conciliatione discordantium ad speciem Canonum usus est. Post hos Bernardus Papiensis in primam veterum Decretalium à se adornatam Compilationem glossas scripsit.

343. Veteriores Glossatores Collectionum Corpori Juris insertarum saeculo XIII. floruerunt, recentiores XV. Quidam ex iis Glossas in plures Collectiones elucubra-

Bb 2

runt.



runt. Sic Guido Bassius, dictus Archidiaconus, Glossas scripsit in Decretum, & Decretales. Joannes Andreas in Sextum & Clementinas. Juxta S. Antoninum in Glossatorum Decreti primas obtinet Hugutio, sive Hugo Verceilensis, secundas Joannes Semeca natione Germanus, qui celeberrimus est, & nomine Joannis antonomastice indicatur. Eidem successit Bartholomæus Brixienfis, qui in Glossas Joannis Semeca operam contulit, eum, ubi erraverat, emendando, ejus omissiones supplendo, denique mutationes in Jure, post ejus Glossam factas, observando. Præcipuus Decretalium Gregorii IX. Glossator est Joannes Parmensis, item Abbas Panormitanus, seu Siculus, Zabarella, qui sæpius sub nudo Cardinalis nomine laudatur, Zenzelius, & Joannes ab Imola in Clementinas & Extravagantes Glossas confecerunt: quibus junge Joannem Picardum Cardinalem, Guilelmum de Monte Cauduno, & Pavinum.

344. Inter omnes Constitutiones Corpori Juris Canonici insertas c. 3. De verborum significatione in 6. quod regulam S. Francisci Seraphici declarat, hoc speciale habet, quod Nicolaus III., cujus hæc est Constitutio, in fine ejusdem sub pena anathematis illud glossari prohibuerit. Joannes vero XXII. agnoscens hanc prohibitionem esse periculosa, eam suspendit, donec aliter Sedi Sux videretur. Nicolai III. exemplum secuti sunt Pius IV. & V. qui sub eadem pena vetuerunt, ne decreta Concilii Tridentini glossarentur, ut supra N. 308. vidimus.

345. Licet magna, & cæteris paribus, major sit autoritas Glossæ, quod digna judicata fuerit, ut ad Canonis declarationem in Corpore Juris poneretur; nihilominus illa non habet auctoritatem Legis, cum à privatis Authoribus condita, & nunquam pro lege approbata sit: nec est attendenda, quando meliora Juris fundamenta, & rationes contra illam militent; imo in ipsa Glossa doctrina & au-

thoritas ejusdem Authoris inspicienda est: quæ, teste Laimanno, insuper inaniter allegatur absque textu, si ipsum Jus expressum habetur, utpote ex quo tota pendet resolutio. Si vero Glossa plures referat opiniones, tunc in dubio, & nisi aliud ex verbis ejus colligi possit, præsumitur approbare ultimam. Postremo Correctores Romani à Greg. XIII. ad emendationem Decreti Gratiani electi, ita Glossæ pepercunt, ut ab omni emendatione abstinuerint; quæ Glossæ intellectu officere potuissent. Unde sæpe leges illa verba: *Sed propter Glossam nihil est mutatum*: ex quo patet, quanta in estimatione illo tempore fuerit Glossa.

## CAPUT VIII.

De Concordatis Sacerdotum inter & Imperium, Statum Germaniæ concernentibus.

346. **C**oncordatorum nomine veniunt in Jure Ecclesiastico pacta Pontificem inter & Principes in bonum Ecclesiæ conventa, quibus nempe eorum pacificis transactionibus, quilibet pars aliquid ex præteritis Juribus dimittebat, & rursum aliquid obtinebat. Non agemus hic de Concordatis antiquioribus Pontificis inter & Imperatores, qualia sunt pacta Adriani cum Carolo M., & succedentium Pontificum cum Ottonibus: item de famosa renuntiatione Henrici V. ac reverendis Callisti secundi; sicut nec de Concordatis aliarum Nationum cum Sede Romana, qualia sunt Concordata inter Franciscum I. Gallie Regem, & Leonem X. R. Pontificem; tum quia tam amplum tractatum præteritis opusculi angustia non sustinet; tum quia scopo hujus capituli non deserviunt, utpote quod notis nostris Historicis in Symbola & Constitutiones Pontificias, præcedentis Capituli, Paragrapho postremo jam absolutis, per modum appendicis parè in gratiam cupide Legum Ec-

Ecclesiasticarum Juventutis in Germania existentis adjicitur, ut illius adminiculo circa Constitutiones Pontificias Generales, quibus pacta conventa derogant aut illas modificant, limitius judicium institueri valeat: quod utique ex Concordatis novissimis, quæ derogant, aut plane abrogant priora, optime consequetur. Sit igitur

## §. UNICUS.

De Concordatis inter Fridericum III. & Nicolaum V.

347. **H**ÆC Concordata inter Fridericum III. Imp. & nonnullos Imperii Principes tam Ecclesiasticos, quam Laicos ex una, uti habetur ex ipsorum Concordatorum ingressu, nec non Legatum Nicolai V. Joannem S. Angeli Diaconum Cardinalem ex altera parte sunt in ita Alschaffenburgi, ac postea a. 1447. à Nicolao V. solemniter confirmata. Extantque tum alibi, tum apud Goldastum tom. 1. Collectionis Constitutionum Imperialium pag. 408.

348. Ocasio horum Concordatorum fuit querela Germanorum circa reservationes Beneficiorum à Sede Apostolica successivè factas: item circa gratias expectativas, quibus Jura Ordinariorum, Capitulorum, Patronorum, atque Collatorum lædi querelabantur; atque etiam circa excessum Anagninorum, quarum nomine intelliguntur fructus primi anni, ex Beneficis Sedi Apostolica reservatis, & ab eadem impetratis, Camera ipsius perfolvendi: quibus præsentibus Concordatis remedium allatum est.

349. Sex potissimum constant articulis hæc Concordata, in quorum primo Papa Sux collationi reservat omnia Beneficia Ecclesiastica, cujuscumque dignitatis, & nominis, quæ apud Sedem Apostolicam vacare contingerit. Dicitur autem Beneficium apud Sedem Apostolicam vacare, si Papa deponat Beneficiatum, vel illum Benei-

cio privet, transferat, electionem causet, postulationem repellat, resignationem admittat: item si Beneficiatus sit Cardinalis, vel actualis Papæ Familiaris, aut si moriatur in loco ultra duas dietas Roma non distito, quicumque demum fuerit: aut si promoveatur à Papa ad Episcopatum, Prioratum, &c. In secundo Ecclesiæ Metropolitanæ & Cathedralibus, sicut & Monasteriis immediatis sui eligendi suos respectivè Prælatos secundum terminos Juris communis asseritur; ita tamen, ut electiones præsententur Romano Pontifici, qui legitimis confirmavit: nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de consilio Cardinalium de digniori, & utiliori persona Papa duxerit providendum. In tertio modificantur gratiæ expectativæ quantum ad hoc, quod, ut ibi dicitur, *Regularia Beneficia sub expectativæ gratiis non eadem, reservatis interim Beneficiis secularibus hujusmodi gratiis*; quæ tamen gratiæ expectativæ, sicut & reservationes mentales à Concilio Trid. Sess. 24. c. 19. penitus sunt abrogata. Cujus summarium est tale: *Expectativis hæctenus concessis uti nulli fas esto. Reservationes mentales, &c. nulli concedantur. In quarto* Papa sibi reservat majores post Pontificalem Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus, & principales in Collegiatis. Ubi notandum, quod alicubi in Collegiatis Ecclesiis principales dignitates sit Præpositura, alicubi Decanatus; sed hæc reservatio in multis Ecclesiis non viget. In quinto stabiliter *alternativa mensium inter Papam & Collatores ordinarios*, quibus nimirum Papa, vel Collatores ordinarii Beneficia vacantia conferant. Menses Papales sunt *Januarius, Martius, Majus, Julius, September, November.* Menses ordinariorum Collatorum sunt reliqui; ita ut si Beneficium, v. g. Canoniciatus, vacet in *Januario*, illud Papa, si in *Februario*, illud ordinarius Collator conferat. Mensibus Papalibus ex Privilegio fruuntur Cardinales, ex Indulto unus alterve Elector Ecclesiasticus;

ticus: Collatarius tamen Romæ debet impetrare novam provisionem. In sexto Annatis exigendis modus statuitur, ut si quæ Ecclesie excessive gravatæ sunt, provideatur specialiter in gravatis Regionibus, ad quod Petentibus Pontifex respondeat datum commissionem in partibus.

350. Hæc conventio ex mente pacificentium est perpetua & absoluta: duo solum articuli habent adjectam conditionem: *Nisi in futuro Concilio de consensu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum*; nempe circa alterationem mensium, & solutionem Annatorum. Illi igitur derogare nequit, nisi renuntiatio, & derelictio alterutrius partis, qui tamen modus sese liberandi è Concordatis vix habet locum; cum utraque pars invigilet observantiæ Concordatorum. Validior est exceptio *non exhibitæ consensu & antiquissimæ consuetudinis*, quam pro sua libertate multæ Ecclesie, etiam tantum Collegiatæ, in Germania opponunt Concordatis. Fundamentum prioris exceptionis præbet ipse tenor horum Concordatorum, quod nempe illa facta sint non concurrente toto Corpore Germanico, sed *nonnullis Ecclesiasticis, & Sæcularibus Principibus*; & consequenter probare debet Curia Romana, illos, contra quos allegantur Concordata, fuisse de numero consentientium. Hinc Ecclesie Herbipolenses tum Cathedralis, tum Collegiatæ ignorant mentes Papales. Alibi majores & principales Dignitates ex consuetudine sunt electivæ, in quo jure, juxta Capitulationem novissimam Francisci I. Rom. Imp. semper Augusti art. 14. §. 1. Capitula sunt protegenda. Ubi etiam Imperator se obligat, & vult omnem possibilem conatum apud Sedem Romanam adhibere, **DAS GEGEN DER ERK UND BISCHÖFFEN ODER DER DOM-CAPITELN ABSONDERLICHE PRIVILEGIA, HERGEBRACHTE STATUTA UND GEWOHNHEITEN, SONDERLICH DURCH RESIGNATION, DANN DARAUF UNTERNEHMENDE COLLATION ALL SOLCHER PŘEBENDEN,**

**PRELATUREN, DIGNITÄTEN, UND OFFICIEN (WELCHE SONSTEN PER OBITUM AD CURIAM ROMANAM NICHT DEVOLVIRET WERDEN, SONDEAN IEDERZEIT, OHNERACHTET IN WELCHEM MONATHE SIE AUCH REDIG, UND VACIREM WÜRDEN, DENEN ERK UND BISCHÖFFEN, AUCH CAPITELN, UND ANDEREN COLLATOREN HEIMBFALLEN) IN KEINE WEISE GEHANDELT WERDE.** Quæ stipulatio derogare videtur articulo primo Concordatorum: vigore ejus quæcumque Beneficia per *renuntiationem* ad Pontificem devolvi possunt in verbis: vel per eos facta *renuntiatio*, & admissa autoritate nostra existerit.

## CAPUT IX.

## De Pace Religiosa.

351. **CUM** Pax Monasteriensis, seu Westphalica à Ferdinando Imperatore, cum Germaniæ, & Sveciæ Principibus heterodoxis inita, communi Imperatoris, Regiæ Sveciæ, & Principum Germanorum consensu (Catholicis quidem dura necessitate, & metu majoris mali, ob fractas ea tempestate eorundem vires ad id adactis) stabilita sit, ac confirmata, ita, ut tenore articuli 17. in *Legem perpetuam, Sanctionemque Pragmaticam Imperii Romano-Germanici* evaserit: atque in hujus pacis art. 5. §. 1. *Transactio Passaviensis*, & illam secuta *Pax Religiosa*, juxta quod A. C. 1556. Augustæ Vindelicorum, & in aliis Diæces Imperii confirmata fuit, quoad omnia puncta, articuloque manuteneunda, sanctæque, ac inviolabiliter observanda præcipiatur; ut utriusque hujus pacis, Religiose nimirum, & Monasterientis, seu Westphalicæ, in quantum Religionis concernit negotium, adeoque ad præsens institutum pertinet, notitia non defraudetur Juris Ecclesiastici Candidatus Allemannicus; de prima agemus præsentis capite, de altera

sequenti, quo & præsens opusculum terminabimus. Desumemus autem materiam utriusque capitis ex principis Juris publici Ecclesiastici Catholicorum, ad Statum Germaniæ accommodatis, nuperime editis, ex quibus etiam quedam delibavimus Capite præcedenti.

352. Post transactionem Passaviensem inter Ferdinandum Regem Romanorum, & Mauritium Saxonie Ducem, alioque Federatos A. C. 1552. initam, (quæ existat apud Goldastam tom. 1. à pag. 566.) in qua de visceribus causæ Religionis, ac Fidei controversis nihil actum est, sed de solo vita, ac conversationis externæ pacifico commercio; ac inter alia primo loco statutum: *Ut Cesar* (Carolus V.) *indiceret intra semestre Comitia, in quibus deliberetur de modo Religionis dissidium componendi*: hoc semeltri, ob varia, præsertim belli, intercurrentia negotia, usque ad triennium protracto, tandem A. 1555., quo Ferdinandus Rex cum plenitudine potestatis, adjunctis sibi à latere Commissariis Cæsareis, & reliqui Ordines Imperii tam Catholici, quam Augustanæ Confessioni addicti, Augustam Vindelicorum convenerunt; pax ista, quæ ob materiam eadem subtratam *Religiosa* dicitur, condita est; quæ commode etiam dicitur: *Pacis publicæ Passaviæ initæ ad causas Religionis extensio*.

353. Scopus hujus pacis fuit, ut per eam *via* sterneret ad componendum principale dissidentis Religionis articulum; DAMIT MAN DESTO EHE ZU CHRISTLICHER, FREÜNDLICHER UND ENDLICHER VERGLEICHUNG DER SPALTIGEN RELIGION KOMMEN MÖGE. §. 25. Hic enim articulus velut res altioris indaginis, & longioris moræ in aliud opportunum tempus ibidem §. 9. 10. & 11. differtur. Unde objectum hujus pacis non erat ipsa fides, nec approbatio novæ Religionis, utpote spheram potestatis hujus Augustani Congressus excedens; sed *sola tranquillitas externa*, tanquam unicum prælimi-

nare medium ad restaurandam postea in fide concordiam.

354. Articuli Pacis Religiose sunt sequentes. I. Nullus Status Imperii propter Augustanam Confessionem vim aut contemptum patiatur. §. 15. quod ipsum extenditur ad Nobilitatem immediatam §. 26.

II. Discors Religio non aliter, quam christianis, amicis, ac pacificis viis & mediis ad unanimum consensum reducentur. *Ibid.*

III. Maneat Conversio quorundam Collegiorum, Monasteriorum, aliorumque bonorum Ecclesiasticorum (nisi bona occupata pertineant ad Status Imperii; item, nisi Ecclesiastici, etiam *mediati*, tempore transactionis Passaviensis, aut hactenus illa possederint) ad pios & alios usus à Protestantibus facta. §. 19.

IV. Suspenda esto Jurisdicção Ecclesiastica (salvis tamen Ecclesiasticorum redditibus, decimis, cæterisque juribus adversus Augustanam Confessionem. §. 20.

V. Augustanæ Confessioni adherentes nullam molestiam inferent Statibus Catholicis, eorumque Capitulis. §. 16.

VI. Quod si Prælatus Ecclesiasticus, aut alius quodcumque à veteri Religione discesserit, excidet sua Dignitate & Beneficio (salva tamen existimatione) & Capitulum vel Patronus substituet alium. Statutum istud vocatur *Reservatum Ecclesiasticum, DER GEISTLICHE VORBEHALT*, quod partibus non convenientibus Ferdinando inseruit *de plenitudine potestatis*, & nequaquam renitentibus Protestantibus executi sunt Catholici A. 1583. in Gebhardo Trucheseio Archiepiscopo Colonienfi. Consensere demum in hunc articulum Protestantes, art. 5. §. 5. Pacis Westphal. sed sub lege *reciproca paritatis*.

VII. Integra esto cuilibet Statu Superioritas Secularis, quam quis ante ortu Religionis dissidia habuit in proventus Ecclesiarum in Territorio suo constitutos, §. 21. & 22. sic tamen, ut ex istis redditibus sustententur Monasteria, Parochie, Scho-

Scholæ, Hospitalia, prout olim moris erat, absque discrimine Religionum.

VIII. Nullus Status constitutum, ejusque Subditos vi, aut arte pertrahat in suam Religionem, aut hos contra Magistratum suum in tutelam suscipiat, §. 23. Salvo tamen jure protectionis, quod unus alterve ab antiquo possedit.

IX. Conceditur Subditis utriusque Religionis Jus emigrandi. §. 24.

X. In Civitatibus Imperialibus, ubi mixta Religio, Cives & Incolæ tam Ecclesiastici, quam Sæculares vivant pacifice. §. 27.

XI. Excluduntur ab hac pace, qui neque Religionis veteri (id est, Catholicæ) neque Augustanæ Confessioni adherent.

355. Perpetuitas hujus pacis est conditionata, nempe, nisi sequatur absoluta, & finalis Compositio Religionis ac Fidei, mediante Concilio Generali, ac Nationali, Colloquio, Comitibus: evasit tamen absoluta per pacis Westphalicæ art. 5. §. I. ut supra N. 352. adnotatum est.

356. Pacis hujus ineundæ consilium ex parte Catholicorum multi quidem exagitant, sed Author Principiorum Juris publici Eccl. supra laudatorum illud iustificare conatur, tum ex objecto hujus Congressus, quod erat *Pax publica externa*, quam etsi cum Heterodoxis colere in *Thesi* malum sit; in *Hypothesi* tamen pro avertendo majori malo necessarium esse ostendit arg. c. 13. *S. Matth. v. 28.* & seqq. tum ex fine omni laude digno, quem exprimit §. 28. hujus pacis; tandem ex temporum illorum angustiis, quas dicit melius tunc novisse quætos Cæsarem & Status Catholicos, quam alios peregrinos extra tempestatem constitutos.

## CAPUT X.

### De Pace Westphalica.

357. POST Pacem Religiosam tractatum fuit aliquoties de compo-

nendis fidei dissidiis, sed opus saluberrimum languit. Imo Imperium ex eo, quod Catholicis ferventius desiderant in retinendis recuperandisque juxta tenorem pacis Religiosæ bonis Ecclesiasticis, & Lutherani Catholicis zelo non essent inferiores in illis secularizandis, rursus in factiones divisum est, Lutheranis *unionem* Hæc Suevorum, Catholicis *Ligam* Herbipoli constantibus. Insuper, post decennium harum unionum, erupit bellum Tricennale, occasione Rebellionis Bohemicæ ortum, edicto restitutorio Ferdinandi Imper. ingravescens, nec Pace Pragensi extinctum.

358. Post variam belli fortunam rebus Catholicorum in pejus ruentibus, A. 1641. cogitatum est de pace. Congressus pro eadem cepti sunt Monasterii Westphalorum & Olnabrugis A. 1644. cum tandem cum magno præjudicio rei tum Catholicæ, tum Ecclesiasticæ ob Protestantium potentiam A. 1648. pacificatio est absoluta.

359. Hæc pax duplici constat instrumento, *Monasteriensi*, & *Osnabrugensi*. Prius erectum fuit inter Ferdinandum III. Imp. & Ludovicum IV. Gallie Regem: unde *Cæsareo-Gallicum* dicitur: posterius inter Ferdinandum & Christianam Suevicæ Reginam, nec non utrinque fœderatos: unde *Cæsareo-Suevicum* appellatur. Negotia Religionis in hoc ultimo potissimum comprehenduntur ab articulo quinto. Quæ ad quatuor titulos reduci queunt: Quorum primus est *Declaratio Pacis Religiosæ*: alter *Tolerantia trium Religionum*: tertius *Cessio Beneficiorum & bonorum Ecclesiasticorum*: quartus *Æqualitas exacta mutuaque inter utriusque Religionis Status omnes & singulos*.

360. Quod primum Titulum attinet, Declaratio Pacis Religiosæ *invasiva* habetur art. 5. §. 1. in terminis generalibus; item §. 45. ubi de rebus Ecclesiasticis; & §. 48. ubi de suspensione Jurisdictionis Episcopalis, &c. agitur. *Extensiva* vero art. eodem §. 15. ubi *Reservatum Ecclesi-*

*asticum* quoque extenditur ad Protestantes. Item §§. 31. 32. & seqq. ubi *Autonomia* antehac solis Statibus concessa, suo modo producitur ad Subditos. Item §. 52. ubi pro finendis causis Religionis *sola* amicabilem compositionem placet, exclusa in Comitibus pluritate votorum.

361. Quod secundum Titulum attinet, Tolerantia trium Religionum stat in prohibitionibus & præceptis negativis; nequaquam enim ibi approbantur tres Religionis: quis enim prudens approbabit *repugnantia*? De veritate aut fallitate nihil in Comitibus & Congressu pacis est actum. Sane Cæsaris & Status Catholicici non declararunt tutos esse in conscientia, & coram Deo infontes, qui Religionem novam amplexati sunt, pialque fundationes occuparunt: *sola securitas externa* contra quancumque persecutionem Juris & Facti Protestantibus spondebatur. Quancumque vero Catholici aque *tolerentur* inter Protestantes, ac hi inter illos; hoc tamen præcipui habet Religio Catholica sive veteris præ reliquis duabus, quod à Majoribus ante reformationem non fuerit *mere tolerata, sed publice approbata*, cultaque velut unice salvifica. Cæterum Religionem illam tres in Imperio toleratæ sunt, *Catholica, Lutherana & Calvinistica*, art. 7. §. 1.

362. Hæc præcepta negativa seu prohibentia circa tolerantiam Religionum sunt I. Religionis intuitu nemini sive Catholico, sive Protestanti vis inferatur. Art. 5. §. 1. in fin. Nihil contra conscientiam & principia Religionis suæ injungatur subdito. Art. 5. §. 48.

II. Nemo despiciatur habeatur, nec à Mercatorum, Opificum, aut Tribuum Communionem, Hæreditatibus, Legatis, Hospitalibus, Leprosoriis, Eleemosynis, &c. multo minus publicis Cæmeteriis, honoreve Sepulturæ arceatur. Art. 5. §. 35.

III. Nemo prohibetur mutare Religionem, art. 5. §. 34. etiam si Persona Ecclesiastica foret. §. 15.

IV. Nullus Subditus diversæ Religioni

Tom. I.

addictus à Domino Territoriali cogatur emigrare, si Religio ejus quancumque anni 1624. parte in loco habuerit exercitium publicum vel privatum. §. 31. & 32. Quid de aliis, qui nulla dicti anni parte exercitium suæ Religionis habuerunt, conventum sit, docet §. 11. quem intelligit, inquit prælaudatus Author, nisi emigrandi necessitatem eis injungat Dominus, ne conflictentur cum §. 15.

363. Quod attinet Titulum tertium, *Cessio Beneficiorum & bonorum Ecclesiasticorum* his clauditur articulis. I. Stabilitur dies normalis, nempe prima Januarii anni 1624. velut unica regula restitutionis aut retentionis bonorum Ecclesiasticorum; vi cujus quancumque anno & die isto in *reali* possessione bonorum Ecclesiæ fuerat, in ea manere debet, omni exceptione remota.

II. Archiepiscopatus, Episcopatus, alique Dignitates Ecclesiasticæ, quæ cum appertente Territorio Protestantibus cedebantur, vel fuerunt secularizata, vel in ordine Principatum Imperii Ecclesiasticorum permanserunt.

III. Pontifici Romano admittuntur Antiquæ, Jura Pallii, menses Papales (de quo tamen vide §. 20. art. 5.) in Ecclesiis Protestantium. Art. 5. §. 19. Nec non confirmatio Episcoporum Protestantium, qui investiti sunt à Cæsare, a. 5. §. 21.

IV. Jus præuarium precum firmatur Imperatori ubi illud exercuit; sub limitatione tamen, art. 8. §. 19.

V. Fundationibus immediatis stabilitur Jus eligendi, & postulandi, Art. 5. §. 16. exclusa successione hæreditaria. §. 17.

364. Quod attinet ad quartum Titulum, *æqualitas exacta mutuaque* inter trinæ Religionis status omnes & singulos exigit, ut, quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum. Verum, quousque illa se debeat porrigere, non est ob generaliores terminos, qui ibi adhibentur, per omnia decisum. Ex hac æqualitate derivatur I. Quod Principes Protestantem Ec-

Cc

cle-

clesiastici eodem Titulo, & proedria gaudeant, qua Catholici. Art. 5. §. 22.

II. Quod Principes Catholici tam Sæculares, quam Ecclesiastici, intra fines territorii sui æque *Jus Diocesatum* & *reformandi* exercere possint in Subditos Protestantes, aut Principes Augustanæ Confessionis in Subditos Catholicos. Art. 5. §. 30. & 45. Art. 8. §. 1.

III. Quod in Camera Imperiali, & in Judicio Cæsareo Aulico tam Causæ Ecclesiasticæ, quam Politicæ, quæ inter Catholicos, & Protestantes Status, vel inter hos solos vertuntur, adlectis ex utraque Religione *pari numero* Assessoribus, discutiantur, & judicentur. Art. 20. §. 53. Numerus tamen Assessorum dispar est. Catholicorum quippe sunt præter Judicem Cameræ, & Præsidentem 26. Protestantium 14. In Judicio Aulico pauciores sunt Confessioni Augustanæ addicti.

IV. Quod Imperator æque protegere debeat Jura Protestantium, ac Catholicorum.

V. Quod Matrimonia Protestantium habenda sunt pro veris, filii pro legitimis, nec obreantur hærescos avitæ filio Catholico facti via præcludi possit ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica.

365. Contra hanc pacem Innocentius X. P. M. in Bulla, quæ incipit: *Zelo domus Dei*, &c. solemnissime protestatus est; at ex suo tenore, atque Imperatorum confirmatione perpetua est, ejusque valorem Germano impugnare haud licet. Prima pars hujus asserti constat ex cit. Bulla Innocentii X. ubi ita habetur: *Alterius, seu utriusque pacis hujusmodi articulos, ceteraque in dictis instrumentis contenta, quæ Catholica Religioni, Divino Cultui, animarum saluti, eidem Sedi Apostolica Romane, & inferioribus Ecclesiis, ac*

*Ordini, & Statui Ecclesiastico, illorumque Personis, membris, rebus, bonis, Jurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, Privilegiis, Prærogativis, & Juribus quibuscumque quomodolibet officium, seu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, & alias nocere, aut nocuisse quoquo modo dici, intelligi, prætendi, vel censeri possent, cum omnibus inde secutis, & quodcumque sequendis, ipso Jure nulla, irrita, invalida; iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque & effectu vacua omnino fuisse, esse, & perpetuo fore; neminemque ad illorum, & cujuslibet eorum, etiam si juramento vallata sint, observantiam tenori, &c. &c. Secunda pars constat legenti ejusdem pacis Articulum I. & V. Tertiam, & quartam habemus ex novissima Capitulatione FRANCISCI I. Rom. Imp. semper Augusti, feliciter regnantis, in cuius Art. II. N. II. Supremus Monarcha spondet se custoditurum Pacem Religiosam, juxta quod A. 1656. Augustæ Vindelicorum, & in aliis Dietis Imperii confirmata est, sicut & tractatus Monasteriensem, & Osnabrugensem: & N. VI. se rejecturum, & annullaturum conformiter dicto tractatui omnes *Protestationes, & oppositiones factas contra eundem tractatum, cujuscumque nominis essent, & à quocumque provenire possent, utpote jam diu rejectas, & annullatas: atque dignitum illos, qui attentaverint scribere, aut publicare tractatus impressos contra utramque Pacem. Quæ pro coronide hujus opellæ in gratiam Alamanicæ Juventutis ex intrumento Sacerdotii & Imperii circa Pacem Religiosam, & Westphalicam adduco, & calammum excutio.**

*Laus Deo. Honor Virgini.*

## TITULUS VI.

### De Electione, & Electi Potestate.

Præsentem Titulum in 4. §. secabimus. Primus aget de electione Episcoporum, alter de electi. Rom. Pontific. Tertius de confirmatione, quartus de Ordinatione Episcoporum.

#### §. I.

##### De electione Episcoporum.

1. Electio hic non sumitur pro quacumque provisione ad Beneficium Ecclesiasticum, quomodo comprehendit presentationem, collationem, &c. nec pro quacumque provisione, quæ fit cum intervenitu suffragiorum, quo modo alicubi Decani, & alii Officiales solent eligi: sed strictè pro provisione suffragativa ad Dignitatem Pastoralem vacantis Ecclesiæ, quo sensu Electio est: *Personæ habilis Canonica vocatio ad vacantis Ecclesiæ Dignitatem Pastoralem per vota Capitularium facta, & per Superiorem confirmanda.* Ita in re communiter sentiunt Canonistæ ex c. 7. & 42. h. t. Ex quo patet, quod ille, qui Dignitatem Pastoralem non adipiscitur per vota Capitularium, juxta modernam disciplinam non censetur ad Dignitatem illam electus, sed alia via promotus.

2. Pragmatica Sæctione à Christo institutum est, neminem vel ad minimum Sacerdotalis Officii gradum venire debere, nisi vocatum, & justum. Ad Hebr. 5. v. 5. & 6. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret.

3. Hinc ex ejusdem Salvatoris Discipulis duodecim ad munus Apostolatus, & septuaginta ad munus prædicationis non

se ipsos ingererunt; sed à Christo electi sunt. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui, ut eatis, & fructum afferatis.* Joan. 15. v. 16.

4. Hæc Pragmatica Christi Sæctione post ejus ad caelos ascensum sanctè observata est ab Apostolis. Ita Actor. 1. Matthias Episcopatum prævaricatoris Judæ electione accepit. Sic Actor. item 6. septem Diaconi ad ministerium non profanum, sed sacrum electi sunt.

5. Illa tamen Sæctione modus eligendi Ecclesiæ Ministris individuè determinatus haud est, sed Ecclesiæ judicio relictus.

Id exempla evincunt. Nam Apostoli immediate à Christo electi sunt. Matthias ab Apostolis & Discipulis per sortem. Per suffragia septem Diaconi. In Ecclesiâ nunc electio fuit penes solos provinciales Episcopos, nunc penes Clerum, nunc penes Episcopos, Clerum, & Populum simul; quandoque devoluta est ad Capitula, subinde solo Romano Pontifici reservata; aliquando Principibus Laicis concessa, quemadmodum ex progressu constabit.

6. Dignitates, ad quas in Hierarchia Ecclesiastica proprie eliguntur Personæ habiles, sunt, Papatu, Patriarchatus, Exarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus.

Papæ nomine, quo olim etiam simplices Episcopi veniebant, hodie autonomaticè intelligitur is, qui Jure divino, & ex Christi institutione est Primus totius Ecclesiæ, & ejusdem Salvatoris in terris Vicarius, nec non Ecclesiasticæ Hierarchiæ Caput visibile. Cujus proinde Jurisdictio spiritualis ad universum Orbem se extendit.

Patriarchæ nomine hodie venit is, qui pluribus præest Provinciis, pluresque Archiepiscopus habet subordinatos. Officia